



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronici Ditmari Episcopi Merspurgensis Libri IIX

Thietmarus <Merseburgensis>

Helkestadi[i], 1667

Testimonia Doctorum De Ditmaro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11072

TESTIMONIA,
DOCTORUM DE DITMARO

* *
PAVLVS LANGIVS CHRONICI
CITICENSIS. pag. 770.

Anno Domini 1018. Dithmarus Merseburgensis Ecclesia Episcopus quartus, genere & moribus clarissimus, & praeclarus Historiographus, filius Sifridi Comitis, obiit: cui Bruno successit, quovis honore dignus.

GERHARDVS IOHANNES VOSSIVS LIB. III.
DE HISTORICIS LAT. CAP. V.

DIETHMARVS sive Dithmarus, Sigefridi Saxonici Comitis filius, primum monachus fuit cœnobii S. Iohannis Magdeburgi, sub Rigdago Abbate; hinc Præpositus Vallibicensis, ac tandem Merseburgensis in Misnia Episcopus, Chronicorum libros VII. reliquit, quibus complectitur gesta quinque Imperatorum, HENRICI I. OTTONIS I. II. III. & HENRICI II. cuius temporibus vixit. Meminit & Paulus Langius pene initio Chronici Citicensis: ac sæpius in sua Saxonia memorat Georgius Fabricius. Sincerissimum scriptorem appellat Possevinus. Opus vero Chronicorum scribere orsus fuit anno Christi Clō XVII, ætatis suæ XLI. Episcopatus X, anno uno ante obitum. Quemadmodum cognoscere ex eo est, qui, paulo post Dithmari excessum vitam illius literis commisit.

ANDREAS BRVNNERVS lib. 9. Annal.
Boicorum, pag. 677. part. 2.

Comitiis Ratisbonensibus anno 1009. Dithmarus interfuit, ille ipse, cuius fidelissimis lucubrationibus in hac rudis avi caligine, veluti face, utimur; cui hanc Boica de se optime merito vicem lubens reddiderit, ut summos in ea honores consequeretur, quando hoc anno Neoburgi ad Danubium, Henrico rege presente, Tagmone Magdeburgio, & V. Episcopis in augurantibus, Merseburgensis Pontifex salutatus est. Et pag. 739: Deficit pariter hoc anno 1018. Dithmari Merseburgensis Episcopi Chronicon, unicus huius avi thesaurus, quem vel Henrici Caesaris causa cuius XVI. actus in regno annos summa fide complectitur, iam olim par fuerat erui è tenebris, ne tam diu optimi fortissimique Principis res una sepulta delitescerent.

FAMILIÆ